C
NZE
0 1
5

1001 .25



1001
25

XXXVIII
ANON

1001.25


PASSIO
S. BONIFATII
MARTYRIS
ROMANI

Ex fide Mss. Codicum nunc primum edita.

1001
25







ROMAE
Excudebat Ludouicus Grignanus.
CIↃ IↃC XXXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Illuſt.[mo] & Eccell.[mo] Domino,

DN. IOANNI ANTONIO

S. R. IMPERII PRINCIPI

DVCI CRVMLOVII, PRINCIPI AB ECKENBERG,

Comiti Poſtoniæ, Domino in Straſs, Rakelspurg, Petavv, VVildon, VValleſtein, &c.

Mareſchallo hæreditario vtriusque Auſtriæ, Pincernæ hæreditario Carniolæ & Marchiæ Slauonicæ, Supremo Camerario hæreditario Ducatus Stiriæ, &c.

IMP. CAES. FERDINANDI III. AVGVSTI

AD VRBANVM VIII. PONT. MAX.

ORATORI EXTRAORDINARIO

Lucas Holſtenius S. P. D.

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISSIME PRINCEPS,



A nuper comitate ſpectatum tibi probatumq; ſe vidit Bonifatius Martyr, vt experti fauoris ac beneuolentiæ fiducia redire ſub adſpectum tuum, atque de proximo cognoſci cupiat. Et ſane multa illi præſidia tum aderant, quibus ſe commendaret oculis, atque in animum

A *tuum*

tuum insinuaret. quippe quem Eminentissimus Cardinalis Barberinus, munerarius & choragus splendidissimus, ex Tarsensi stadio in Romanum theatrum pulcherrima cum pompa traduxerat. vbi ille in extemporalem scenam mirando plane artificio surgentem tragico cothurno suffultus, atque omni musicæ artis apparatu instructus cum prodiisset, caussam partesq; suas eo sententiarum pondere atque orationis maiestate egit, vt te æquissimo arbitro, atque applaudente lectissimo Germanicæ nobilitatis flore, non minus laudabiliter tunc steterit, quam olim iniquissimo sub Iudice gloriose ceciderat. Verum ille adsciticiis ornamentis carens, suum sibi natiuum cultum, ex superiorum seculorum ingenio rudem, & diuturno situ squalidum indutus, vix tuum adspectum nunc sustineret; nisi qui personatus a curioso vrbicarum elegantiarū spectatore plausum meruerat, non fucatæ simplicitatis candore parem sibi gratiam apud Principem Germanum polliceretur. Neque vero illustrius patrocinium sibi sperare poterat Bonifatius ex bibliothecarum tenebris rediuiuus, quam vt in tuam clientelam se dederet: qui amplissimæ legationis munus inusitata magnificentia

&

& prorsus regio splendore in hoc orbis terrarum theatro ita sustines, vt præteritorum seculorum exempla supergressus, futuris etiam assequendi spem ademeris. Nec tamen præstingui tantæ lucis fulgore metuit: cum in maxima fortuna & splendidissimis honoribus summam humanitatem modestiam & comitatem tuam a nemine desiderari patiaris. Sed prolixiori virtutum laudumq; tuarum commemoratione abstineo; cum hoc qualicumq; officio non gratiam tuam ambire, sed pro maximis beneficiis gratias agere instituerim: qui me Parentis tui, prudentissimi laudatissimiq; Principis, tum etiam tua singulari beneuolentia Eckenbergicæ domui æternum iure merito deuinctum profiteor.

Romæ, prid. Id. Decemb. CIↃ IↃC XXXVIII.

BENEVOLE LECTOR,

IN hisce actis edendis septem manuscriptorum codicum fidem secutus sum: quorum duos Vaticana Summi Pontificis, quatuor Principis Apostolorum bibliotheca, septimum S. Cæciliæ in Transtyberina regione monasterium suppeditavit. Postremum hunc vetustate fideque cæteris præstantem, & magno illi historiæ Ecclesiasticæ restitutori Baronio iam olim laudatum, potissimum expressi. paucissima enim ex cæteris addidi, aut mutaui: iudicio ea in re aliquid, ingenio nihil indulgens; qui hoc studiorum genus religiose tractandum semper existimavi. pro regula ac norma mihi fuere Adonis excerpta; sed omnium maxime Græcum eorundem actorum exemplar, itidem vetustissimum, quod in Vaticano extat. illi cum Latinis ita ad verbum convenit, vt affirmare non ausim, vtrum Græca a Latinis, an vice versa hæc ab illis promanarint. nam in vtramque partem argumenta suppetunt. quidquid sit, Simeonem Magistrum & Logothetam, quem Metaphrasten vocant, ante septingentos & amplius annos iis vsum non dubitabit quisquis eius metaphrasin cum hisce contendere voluerit.

PASSIO

PASSIO
S. BONIFATII
MARTYRIS.



EMPORIBVS Diocletiani quater & Maximiani ter Imperatorum, orta est seditio maxima tempore persecutionis eorum aduersus Christianos, vt omnes Dei cultores ad inclinandas ceruices nefandissimis idolis compellerentur. Qui etiam tyranni miserunt ex personis suis, vna cum diuis apicibus suis, Iudicem atrocissimum & astutum nimis, Simplicium nomine, in partes Orientis, in Tarsum ciuitatem, quæ est metropolis Ciliciæ prouinciæ; vt ibidem omnes qui Christum confiterentur vtriusque sexus & ætatis per publicam audientiam interrogaret, ipsosque per diuersorum tormentorum macerationem ad suæ mentis vesaniam quantocius inclinaret. Illis igitur temporibus erat quædam in Vrbe Roma mulier magna, nomine Aglaës, filia quidem Acacij, genere autem clari, quondam Proconsulis. Hæc ergo ter candidam egerat apud Vrbem Romam ex præfe-

ctura, habens sub se septuaginta & tres procuratores, qui curas agebant in possessionibus eius; & vnum majorem qui erat super omnes, nomine Bonifatium: qui etiam, vt assolet genus hominum vitiis implicari, commiscebatur cum ea in peccatum. Erat autem hic ebriosus & adulter, & amicus omnium quæ odit Dominus Deus. Tria autem habebat rectitudinis opera; hospitalitatem scilicet, largitatem, & misericordiam. qui si aliquando videret peregrinum de itinere venientem, cum omni festinatione & alacritate adhortabatur in hospitium suum introire, & ministrabat ei. noctibus autem circuibat plateas & vicos ciuitatis, tribuens pauperibus omnia quæ necessaria erant.

Post annos vero multos gratia Dei compungente Aglaën, vocavit puerum suum Bonifatium, & dixit ei: Frater Bonifati, tu scis in quantis peccatis convoluti sumus; non existimantes quoniam Deo assistere debemus, & reddere rationem eorum quæ gessimus malorum in hoc mundo. Et nunc audiui quosdam Christianorum dicentium; quoniam si quis ministrauerit Sanctis, qui propter nomen Domini IESV CHRISTI agonizantur, & certamen sumpserunt propter eum, consors eorum fiet in die illa terribilis iudicii Dei. Et quia didici a quibusdam, quod serui Christi agonizantur adversus diabolum in partibus Orientis, tradentes corpora sua carnificibus, vt non abnegent Christum:

ſtum: perge igitur ad illas partes, & affer nobis reliquias, ideſt, corpora Sanctorum Martyrum: ſi quo modo ſeruientes atque miniſtrantes eis, necnon & oratorias domos ædificantes eis dignas, per ſanctas paſſiones eorum ſaluemur tam nos, quam & alij multi. Accepit autem puer Bonifatius aurum copioſum ad comparationem corporum Sanctorum, & ad miniſtrationem egenorum; & duodecim equites, & tres baſternas; ſed & vnguenta diuerſa, ad honorem Sanctorum Martyrum. Cumque cæpiſſet egredi, dicit Dominæ ſuæ gratulanter: Domina mea, ſi invenero ad comparandum reliquias, ideſt, corpora Sanctorum Martyrum, affero mecum: ſi vero meum corpus venerit, in nomine Martyris ſuſcipies illud? Dixit autem Domina ſua ad eum: abiice abs te ebrietatem & ſtultiloquium, & ſic te exhibe, vt digne poſſis corpora Sanctorum Martyrum portare. ego autem peccatrix, licet indigna ſim, tamen expectabo te citius. Dominus autem & Deus omnium, qui propter noſtram ſalutem formam ſerui accipiens proprium ſanguinem effudit propter ſalutem generis humani, ipſe mittat angelum ſuum ante faciem tuam, & dirigat greſſus tuos in ſua benignitate; & impleat in bonis deſiderium meum, delicta mea oblitus.

Egrediens autem puer Bonifatius in iter ſuum, cogitabat dicens: Iuſtum eſt vere, vt neque carnes

contingam, neque vinum percipiam: quoniam licet indignus ſim & peccator, tamen corpora Sanctorum Martyrum portare habeo. & extendens oculos ad cælum dixit: Domine Deus omnipotens, vnigeniti tui Pater, adeſto in adiutorium mihi famulo tuo; & dirige viam meam in qua ego ambulo, vt glorificetur nomen tuum in ſecula ſeculorum, Amen. Cumque finiſſet orationem, ambulabat iter ſuum gaudens. Adueniens igitur poſt dies aliquot in Tarſum ciuitatem, & agnoſcens quia ſancti Chriſti athletæ agonizabantur in martyrio, dicit ad eos qui cum eo erant: Viri fratres, euntes requirite nobis hoſpitium, & ibi requieſcere facite animalia, ego autem vado videre eos, quos valde deſidero. Cum igitur iret ad ſtadium, vbi Sancti Martyres erant certantes, vidit eos inter tormenta poſitos; & quendam eorum ſuſpenſum capite deorſum, & ignem ſubtus eum ſtratum: alium extenſum in quatuor ligna, & diutiſſime mactatum: alium exterminatam habentem faciem: alium vngulis exaratum: alium manibus abſciſſis: alium ſtipite in collo eius infixo, & exalatum in terra: alium inclinatum ex adverſo, ideſt, retro manus & pedes habentem, & ſic fuſtibus a miniſtris cæſum. Et horror magnus ac pauor intolerabilis erat his, qui videbant hæc tormenta. magis autem erat videre diabolum victum, ſeruos autem Chriſti fortiter certantes. Accedens

ergo

ergo puer Bonifatius cæpit osculari Sanctos Martyres, cum essent in tormentis nequissimis: erant enim omnes viri numero viginti: & clamans voce magna dixit: Magnus Deus Christianorum; magnus Deus Sanctorum Martyrum. obsecro vos, famuli Christi, intercedite pro me, vt & ego dignus efficiar consors vester inueniri, certans adversus diabolum. Et consedens pedibus Sanctorum Martyrum, amplectebatur vincula eorum, osculans ea, & dicens: Certate athletæ & martyres Christi conculcare diabolum, modicum perseuerantes: magnus quidem labor, sed multa est requies: horrida tortura, sed ineffabile gaudium. super terram torquetur corpus a ministris, in futuro autem seculo a sanctis angelis ministrabitur illi.

Aspiciens autem Simplicius iudex ad populum, & cum contemplatus eum fuisset, dixit: Quis est ille, qui ad contemptum meum deorumque iniuriam hæc gerit? applicetur igitur tribunali meo. Cumque adductus fuisset, Iudex ad eum dixit: quis es tu, edicito nobis, qui contempsisti splendidissimum iudicium meum? Beatus Bonifatius dixit: Ego Christianus sum; & Dominum meum IESVM CHRISTVM habens, contemno & te & tribunal tuum, per auxilium Dei mei. Iudex autem ait ad eum: quid vocaris? Beatus Bonifatius dixit: iam dixi tibi, quia Christianus sum: si autem vis discere commune nomen meum, Bonifatius vocor.

cor. Iudex dixit ad eum: antequam pœnis tangam latera tua, accedens ſacrifica Dijs immortalibus. Beatus Bonifatius ait: dixi tibi multoties quia Christianus ſum, & non ſacrifico dæmoniis, neque nefandiſſimis idolis: quod ergo vis facere fac, & noli morari. ecce enim appoſitum eſt tibi corpus meum. Cumque hæc audiret Iudex, iratus eſt vehementer, & iuſſit ſuſpendi eum, & diutius vngulis corpus eius radi. In tantum autem raſerunt eum miniſtri diaboli, vt oſſa eius apparerent. Beatus autem Bonifatius nihil reſpondebat, ſed habebat oculos ſuos attentos ad ſanctos Dei Martyres. tunc iuſſit iudex leuari eum a terra. Tranſacto autem quaſi vnius horæ ſpacio, dixit ad eum Iudex: miſer, ſacrifica Dijs immortalibus, & miſerere tui. Beatus Bonifatius reſpondit ei, dicens: non erubeſcis, miſerrime, ſæpe dicendo mihi, ſacrifica; me nolente audire de perituris tuis ſimulacris? Tunc furore repletus Iudex iuſſit vt calami acuerentur, & eos affigi ſub vngulis manuum eius. Cumque hoc fieret, aſpiciens Sanctus Martyr in cælum alacriter dolores tolerabat. Videns autem impiiſſimus Iudex quod minime ſentiret tormenta, iuſſit aperiri os eius, & plumbum bulliens infundi ei. Sanctus autem athleta Chriſti Bonifatius aſpiciens in cælum, deprecatus eſt Dominum, dicens: Gratias ago tibi Domine IESV CHRISTE fili Dei, adeſto in adiutoriũ mihi famulo tuo, & alleuã me a doloribus iſtis; &

ne

ne permittas me a profaniſſimo hoc Iudice vinci: tu enim noſti, quia propter nomen tuum hæc omnia patior. Et cum compleſſet orationem, exclamavit ad Sanctos Martyres, dicens: obſecro vos, ſerui Chriſti, orate pro me famulo veſtro. Sancti autem martyres tanquam ex vno ore dixerunt ad eum: Dominus noſter IESVS CHRISTVS ipſe mittat angelum ſuum, & eripiat te de profaniſſimo iſto Iudice, & perficiat curſum tuum velociter; & adſcribat nomen tuum cum primogenitis. Cumque compleſſent orationem, & dixiſſent, Amen, factus eſt ploratus a turba, & vociferatio maxima dicentium: Magnus eſt Deus Chriſtianorum: magnus Deus Sanctorum Martyrum. Chriſte fili Dei ſalua nos: vniverſi enim in te credimus, & ad te confugimus. pereant ſimulacra gentium. Et impetum fecit omnis plebs, & deſtruxit aram, & Iudicem lapidauerunt. Et exurgens Iudex ſeceſſit propter tumultum, timens turbas.

Diluculo autem reſidens Iudex pro tribunali, iuſſit aſſiſti ſibi Sanctum Martyrem Bonifatium, & dicit ei: vt quid, miſer, ſic inſanis, in hominem habens ſpem, & ipſum crucifixum tanquam nequam? dicit ei Sanctus Martyr: obmuteſce infelix, & noli aperire labia tua contra Dominum meum IESVM CHRISTVM: obſcuriſſime mentis ſerpens, inveterate dierum malorum, anathema tibi. nam Dominus meus IESVS CHRISTVS hæc omnia

ſuſti-

ſuſtinuit, volens ſaluare genus humanum. Et iratus Iudex iuſſit afferri ollam, & eam impleri pice, & in bullientem Sanctum Martyrem inverſo capite immitti. Sanctus autem Chriſti martyr facto ſigno crucis miſſus eſt in ollam. Angelus vero Domini deſcendit de cælo, & tetigit ollam: & protinus liquefacta eſt, ſicut cera ante faciem ignis. Et Sanctus quidem non eſt moleſtatus; incendit autem de afflantibus viros multos. Tremefactus itaque Iudex virtute Chriſti, atque admirans tolerantiam Sancti Martyris, iuſsit gladio caput eius abſcindi, dicens: Quem legibus Imperatorum non obtemperantem reperimus, hunc iubet noſtra poteſtas capitalem ſubire ſententiam. Spiculatores autem tulerunt eum cum feſtinatione de medio iudicij. Sanctus vero Chriſti Martyr facto ſigno crucis rogauit ſpiculatores, vt largirentur ei paruam horam donec oraret. & ſtans contra orientem, deprecatus eſt dicens: Domine Deus omnipotens, Pater Domini noſtri IESV CHRISTI, adeſto in adjutorium mihi famulo tuo: & mitte angelum tuum, & ſuſcipe in pace animam meam; vt non impediat me peſtifer & interfector draco ſua malignitate, & ne ſuadeat me in fallacia ſua: ſed conrequieſcere me fac in choro Sanctorum Martyrum tuorum. & erue Domine populum tuum de tribulatione impiorum. quoniam te decet omnis honor & poteſtas, vna cum Vnigenito tuo, atque

San-

Sancto & viuificante Spiritu, in secula seculorum, Amen. Et cum complesset orationem percussus est ab spiculatore: & factus est terræmotus magnus, ita vt omnes exclamarent, dicentes: Magnus Deus Christianorum. Et crediderunt multi in Dominum IESVM CHRISTVM.

Conserui autem Beati Bonifatii circuibant vbiq; requirentes eum; & non inuenientes cæperunt dicere adinuicem: Ille modo in adulterio aut in taberna positus epulatur; & nos circuimus vbique requirentes eum. Cum ergo inter se confabularentur, cõtigit obuiare eis fratrem Commentariensis, & dicunt ei: forsitan vidisti virum peregrinum Romanum? Ille autem dixit eis: hesterno die vir peregrinus martyrizatus est pro Christo, & abscissus est capite. qui dixerunt ei: & vbi est? at ille dixit eis: in stadio, vbi passus est. Et iterum interrogati illi de aspectu eius, dixerunt ei: Vir est quadratus, crassus, robustus, capillo compositus, coccinea armelausia indutus. & dicit eis: Ille, quem quæritis, hesterno die martyrio est finitus. Illi vero dixerunt ei: homo quem nos quærimus, magis in taberna requirendus est, quam in stadio. Dicit autem illis: quid enim vos nocebit venire vsque ad stadium, & videre si ipse est? Illi autem secuti sunt eum vsque ad stadium: & ostendit eis preciosum corpus eius. & dixerunt ad eum: quæsumus, ostende nobis & caput eius. Cum autem

con-

contemplati fuissent caput Sancti Martyris conserui ipsius, risit in Spiritu sancto. & cognoscentes eum pueri fleuerunt amare, dicentes: ne memineris nostri in peccatum, quanta locuti sumus de te, famule Christi. Et dicunt ad officialem: iste est quem quærebamus: petimus te, da nobis eum. Dicit eis ille: ego gratis corpus eius dare vobis non possum. Illi autem dantes ei solidos quingentos acceperunt corpus Sancti Martyris. & vngentes illud aromatibus; & involventes linteaminibus preciosis, posuerunt in vna de basternis: & sic profecti sunt iter suum gaudentes, & glorificantes Dominum super defunctione Sancti Martyris.

Angelus autem Domini apparuit Dominæ eius, dicens: aliquando seruum tuum, nunc autem nostrum fratrem, suscipe sicut Dominum, & reconde eum bene. per ipsius enim interuentionem vniversa peccata relaxabuntur tibi. Et consurgens Aglaës confestim accepit secum clericos & viros religiosos: & sic cum hymnis & canticis spiritualibus, & omni veneratione obviavit sancto corpori, & reposuit illud stadiis ab Vrbe Roma quinque, in via quæ Latina nuncupatur; donec ædificaret ei domum dignam passioni eius. in quo etiam loco exuberant beneficia orationum Sancti Martyris vsque in hodiernum diem; ita vt etiam dæmones expellantur: & omnes varias infirmitates repellit, quibus detinetur hominum genus. Martyrizatus est autem

Bea-

Beatus Bonifatius pridie Idus Maias, apud Tarſum metropolim Ciliciæ: & ſepultus eſt Romæ Nonis Iunii. Beata autem Aglaës abrenunciavit mundo & pompis eius, vniverſa quæ poſſidebat diſtribuens egenis. relaxans autem & vniverſam familiam ſuam diverſi ſexus & ætatis a iugo ſeruitutis, ſic cum paucis puellis cum ea abrenunciantibus famulata eſt Chriſto: & ſic facta eſt magna, vt etiam gratiam a Deo mereretur accipere, vt dæmonia expelleret, & diverſas infirmitates curaret. Superuixit autem Beata Aglaës in habitu ſanctimonialis annos tredecim, & ſic obdormivit in Domino, & in pace ſepulta eſt apud præfatum Martyrem.

Sic quoque decertavit glorioſus Martyr Bonifatius, victoriæ coronam aſſumens; in gloriam & laudem Dei Patris, & Vnigeniti filii eius, & Spiritus ſancti: nunc & ſemper, & in cuncta ſecula ſeculorum, Amen.

FINIS.

955246

MC